

# Notes du mont Royal



[www.notesdumontroyal.com](http://www.notesdumontroyal.com)

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES  
Google Livres

**HARIRII BAZRENSIS**  
**NARRATIONES, CONSESSUUM NOMINE**  
**CELEBRATÆ,**  
**SEX PRIORES,**  
**UNA CUM EJUSDEM PRÆFATIONE.**

**EX ARABICO SERMONE IN LATINUM VERBITIT, SUBJUNCTIS  
NOTIS EXPLICUIT, EDIDITQUE**

**CAROLUS RUDOLPHUS SAMUEL PEIPER,**  
**DIACONUS ECCLESIE EVANGELICÆ CERVIMONTANÆ.**

---

**EDITIO ALTERA, EMENDATA ET NOTIS AUCTA.**

---

**CERVIMONTII,**  
**TYPIS CAROLI GUIELMI IMMANUELIS KRAHNII.**

**MDCCCXXXVI.**

**VENUM PROSTAT LIPSIE APUD FRID. FLEISCHER.**



**VIRO EXCELLENTISSIMO, MAGNIFICENTISSIMO,**

**LIBERO BARONI**

**STEIN AB ALTENSTEIN,**

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS IN REBUS RELIGIONIS ET OMNIS GENERIS  
LITTERARUM IN BORUSSIÆ REGNO CULTUM SPECTANTIBUS SUMMO MINISTRO,  
ETC. ETC.

**MUSARUM ORIENTALIUM GLORIOSO PRÆSIDIO,**

**MAS**

**ARABICÆ ELOQUENTIÆ PRINCIPIS PRIMITIAS,**

**TANQUAM DEBITUM TANTIS MERITIS OFFERIMENTUM,**

**QUAMVIS EXIGUUM,**

**DEVOTISSIMA MENTE**

**DICAT**

**EDITOR.**



## **De Haririo et opere ejus Prodromus.**

**M**os erat Arabibus, qui hodieum inter eos obtinet, ut, temporis jucundo modo fallendi causa, publica quadam domo convenienter, commodeque considerent, dum multorum illorum, qui apud eos narratorum artem exercebant, aliquis, historiam, fabulamve, ad eorum gustum compositam, exsequeretur. Ejusmodi narrationes, persimiles iis, quae ab Italis dicuntur Novelle, arabice appellantur Hicajat, vel Makamat, i. e. concessus, per eundem tropum, quo Romanorum disertissimus, concionem habere, vel concionem legere, dicebat, pro habere, legere, orationem, nomine loci ad rem, quae ibi esset, fieretve, tralato, uti Arabes adeo coelum dicunt pro pluvia. Quorum quidem concessum cum Abu'lfadhl Achmed, fil. Hoseini, Hamedanensis, genus invenisset egregium, ita comparatum, ut singulae enunciationes rhythmis finalibus sibi responderent<sup>1)</sup>; versus secundum prosodiae et metrices regulas compisi orationem distinguerent; e grammatica, poesi, religione, traditione, historia, antiquitate, flores insererentur selectissimi; difficillima ostenderentur orationis artificia, maximaque linguae in aprico poneretur volubilitas et copia; hunc Haririus imitatus est. Unde, ut tota operis natura, ita hoc patet, auctorem nostrum non enarrare voluisse, quae re vera evenerint, quamquam multa vera intexuerit, aedificiumque facto historico superstruxerit, et personas quoque ab eo esse excogitatas, suffragante huic sententiae significatu; Haret enim, proprie Haris, N. T. Aretas, notat quaestui studentem, Hammam curantem, Abu Seid, vel Said, patrem ٧٦٩، quod Arabes nomen Seid ad quemlibet virum designandum saepius usurpan<sup>2)</sup>). Bin Hammam vertimus Hammamita, quod omnes homines filii sunt Hammami. De vita Haririi et cur hunc laborem incepit, haec sunt satis certa. Tantum non omnes nomen ejus scribunt: Abu Mohammed Alkasem, fil. Alii, fil. Mohammedis, fil. Otmani, Haririus, Bazrensis, Haramensis. Iakutus Hamataeus eum nominat Ibno'lhariri<sup>3)</sup>. Natus fertur a Heg. 446, Christi 1054, nemine contradicente. Ipso

1) Hamedanensis, ejus concessus breviores esse solent, specimen affiximus calci ses concessum priorum.

2) Vide Giggejum et Castellum. Freytagius in Lexico Arabicо-Latino hoc indicare omisit. 3) Vide Golium ad Exponit Gramm. Arabicam, ed. MDCLVI.

*auctore descendit a gente Rabiato'l fars. Ingenium et doctrinam ejus monstrant, praeter hoc opus, ejusdem Grammatica versibus scripta, Mulhat alirab, liber Alrhawaz, tractatusque et versus quamplurimi in concessibus non obvii. Ad Schafaitas eum pertinuisse quoad religionis ritus, concluditur e Cons. XXXII; in poesi paronomasias vehementer amasse, docent, praeter ipsius effatum Cons. XXIII, quamplurima in concessibus exempla. Quod narrant de facie ejus tetrica, nihil continet incredibile; semper animam pulchram in corpore pulchro vivere, experientia refutatur quotidiana. De primo ad has narrationes pangendas impulsu ipse memorat, uti, cum aliquando contradixisset viris, quibuscum conversaretur, doctis, interitum eruditionis lugentibus, nec simile Hamedanensis concessibus qui pangeret restare contendentibus, a viro quodam potentissimo excitatus fuerit ad laborem hunc aggrediendum. Alia de eo narrata contrariis relationibus in dubium vocantur. Annus ejus fatalis nunc perhibetur a. Heg. 515, Christi 1121, nunc Heg. 516. Itidem sunt, qui dicant, mortuus est Bazrae in vico Haramitarum; dum non desunt, qui contendant, decessit Meschani, oppidulo prope Bazram. Alii tribuunt ei duos filios, Nagmo'ddin Abdo'llah et Dhiao'ddin Obeido'llah; alii filium ei dant Abu'lkasem Abdo'llah dictum. Ne hoc quidem certum, quis ille fuerit, cuius nutu hoc opus aggressus sit. Secundum relationem, quae ipsius filii Abu'lkasemi Abdo'lliae auctoritate niti dicitur, suasor ei fuit Scharfo'ddin Abu Naer Anuschirvan, Vesiri munere fungens apud Imamum Mustarschid billah, vir potentissimus et doctissimus, mort. Heg. 532; sed adjicit Ibn Chilcan: sic inveni quidem multis in chronicis; cum vero a. 686 Kahirae essem, exemplar Haririi concessum ab ipso scriptum repperi, cuius tergo propria manu inscriperat, se pepigisse hoc opus Gelalo'ddino Amido'ddaulae, qui itidem apud Mustarschidum Vesiri munere functus est, mort. a. 552. Alia tandem, quae de eo narrantur, non absimilia sunt fictis. Vix dives haberi potest ille, qui dicit: mala fortuna coactus haec mercimonia, quibus publicae reprehensioni me expono, venum dedi; octodecim palmarum millia Meschani genti potius, quam ipsi Haririo fuisse existimes. Nec potuit illi, quem in concessibus pingit eloquentissimum et vaferimum, nomen Abu Seidi indere a Mothahharo, filio Selari, discipulo suo; huic potius Abu Seidi nomen datum fuerit, ut eloquentiam ejus laudarent. Quod Haririus, absolutis quadraginta narrationibus Barhdadum (Bagdadum) profectus, ibidemque a doctis plagii accusatus, in Divano nequiverit versus quosdam componere, quos Vesirus ei, ut artem demonstraret, pangere praecepisset, refutatur tum iisdem traditionibus, quae eum celebrem Grammaticum fuisse, discipulosque instituisse docent, tum conspicuo in Haririi concessibus acumine. Quod Abu Seidus quidam Sarugensis, qui, modo Cons. XLVIII narrato, mala sibi a Graecis illata in templo circi Haramitarum questus fuerit, deinde vero aliis locis aliter homines ad misericordiam commoverit, ansam dederit concessibus Haririi pangendis, non convenit cum illis, quae Haririus ipse narrat de conventu eruditorum, in quo tales narrationes scribere jussus fuerit. Etsi non negari potest, ejusmodi historiam temporis rationibus convenire; Sarugum, Mesopotamiae oppidum invasionibus*

*Graecorum fuisse expositum; mentionem infortunii repente illati filum esse, quod per omnes fere concessus pertingat; nec absurdum est credere, Haririum, ad pangendos concessus excitatum, cum materiam quaereret, e vere auditis hausisse argumentum, quo, bellorum cruciatorum tempore, vix ullum esset aptius ad commovendos Muslemorum animos.*

Gloriam, quam *Hariri* laboribus suis nactus est, testatur, praeter *Ibn Chilcani* et *Haggi Chalfae* scripta bibliographica magnus virorum doctorum numerus, qui concessus ejus scholiis explicaverunt. *Silvestrius de Sacyo* usus est commentariis *Almotharresii Chowaresmii*, *Alocbarii Barhdadensis*, *Alkasii Scharischiensis*, qui est copiosissimus, *Abu Becri Rasensis*, in quibus allegantur scholia *Abd'llae Azzakalii* et *Tago'ddini Fangadhii*. *Insuper sex codices* *Mss.* habuit, quorum in marginibus quamplurimae adspersae erant notae. In ebraicam linguam versi sunt a *Judeo Hispano*, *Jehuda*, filio *Solomonis*, filio *Alcharisii*; cuius ex versione, tam bene excepta, ut mox imitatores<sup>5)</sup> sequerentur haud spernendi, *Silvestrius* communicavit concessum quintum. *Syris*, quorum poetae, *Eichhornii*<sup>6)</sup> judicio, nihil habent, quo allicant, oblectent, hilarent, invidia excitata erat ab Arabibus, *Syriacam linguam*, quasi minus copiosam, incultam et rudem, vituperantibus, suae vero linguae copiam et venustatem vindicare nitentibus, perpetuoque ad fidem faciendam producentibus librum, quem *Makamat*, *rhythmos* appellarent, ut *Ebed Jeschu Sobensis*, a. 1291 p. Chr., Patriarchae monitu, *Syriacae elegantiae specimen ad fastum Arabum comprimentum edere* constitueret. *Golius* dicit: *Hariri* eo vixit aevo, quod politioribus inter *Arabas litteris plurimum florere*. Namque in hisce ipse promeruit laudem, ut earundem in *Asia et Africa* studiosis in praesentem exinde diem commodior vix alius habeatur author, a quo proprietatem linguae, simulque copiam ac elegantiam addiscant. *Pocockius*<sup>7)</sup>, qui commentatores nominat *Schirazensem* et *Moshaffarium*, itidem profutetur, *Hariri* *Makamat* librum esse elegantiarum arabicarum penu locupletissimum. *A. Schultensius*, qui scholiaste *Teblebio* multum usus est, *Haririum eloquentiae Arabicae principem* appellat, opus ejus, ut *Minervam Phidiae*, consecrari et in arce apud *Arabes* collocari meruisse judicat, seque in eo invenisse ait: eminentem et expressam imaginem priscae illius grandiloquentiae Orientalis, qua liber *Jobi exaratus* est, quaeque in *Psalmis*, in *Proverbiis*, in reliquo corpore *Bibliorum*, poetico praelestrem, ac propheticō, tam magnifice, tamque insignite se exerit. *Silvestrius de Sacyo* quamquam *Hariri* minime captus est difficultibus nugis, tamen non ultimam hanc laudem ei tribuit: au milieus des difficultés, qu'offre son style, il attache le lecteur capable de l'entendre d'un charme

4) Male hoc nomen a St. d. Soc. scribitur *Khalfa*, omissa t. *Sacpus* et alijs invenimus hunc doctum regulas orthographicas negligeret, quamquam ab ipso in Grammatica latas. E. g. scribit *Hamadan* pro *Hamedani*, *Molhat* pro *Mulhat*, *Salar* pro *Selar*, *Hamman* pro *Hamam*. Credimus tamen ipso, regulas illas non omnes satis constare. 5) *Isaacius* fil. R. *Schelemon*. Cfr. J. Bustorff's *Bibliotheca Rabbinica*, p. 88. 6) Cfr. *Præf. ad Jonesii Comment. Poet. Asiaticæ*. 7) In *Specimine Historiae Arabicae*, ed. *Joseph White* *Qroni MDCCCVI*, p. 818.

irresistible. *E Germanis vero, ut alios taceam, Theologum pari profundioris doctrinae ac concionandi facultatis gloria florentem, clarissimum de Ammon<sup>8)</sup>), in libro institutionum ad orationes sacras, et Haririi nostri narrationes eis, qui hac in arte ad celsiorem eniti gradum velint, legendas esse praecipere meminimus. Nostra, si quid valet, sententia haec est. Multi libri arabici a pluribus; quam solent, legi merentur; Arabiades e. g. ob ornatum; Behao'ddini Vita Saladini ob venustam simplicitatem; Abul'fedae Annales ob rerum fide narratarum copiam; Mille noctes et una ob varios phantasiae ludos; Kasvini, Damir, Ibn Batuta, ob miracula, quae produnt; Hamasa et Moallakat ob sententias et libros ebraicos illustrantia verba; Haririi autem lectione nemo carere poterit, qui de linguae arabicae copia, volubilitate, elegantia, genio, omninoque de dialectis Semiticis rectum judicium facere voluerit. Quamobrem setis meriti hac versione nobis comparasse videremur, si nullam aliam haberet utilitatem, quam ut Haririi opus, et Schultensii, Silvestrii de Sacyo, Rueckerti, aliorumque<sup>9)</sup> in eo edendo, explicando, vertendo, imitando, labores unius aut alterius revocarent in memoriam.*

---

8) *Handbuch der Anleitung zur Kanzelberedsamkeit*, Nürnberg 1826, p. 314. 9) *Consensus XVI*, s. Joh. Jac. Reiskio ed. Lips. MDCCXLVII, exemplaria rarissima esse videntur; cfr. A. Th. Hartmann: *Über die ideale weibliche Schönheit bei den Morgenländern*, Düsseldorf 1798, p. 125. Praetor illam vere circa annis in singulis Haririi partibus tentarunt: Thod. Rinkius, J. Uri, Grangeretus de la Grange, Frid. Pisanus, Comes G. de Reswuskio, quorum labore partim in majoribus collectionibus, ut in Fedinis Orientis, querendi sunt.

---

## I n d e x.

Sex priores quoque Haririi concessus latine versos dum denuo edimus, ut a typographicis, qui irrepererant, erroribus existent quantum potest liberi et majore notarum copia illustrati, repetimus, quae de A. Schultensii versione jam ad editionem primam praefati sumus. A. Schultensii versio priorum concessuum latine non solum in paucorum tantum bibliothecis reperitur, sed etiam haud ubique cum sensum exprimit, qui nobis, ampliore scholiorum apparatu instructis, poetæ dictis subesse videtur; textum sequitur non satis emendatum; ob annexum commentarium vasti corporis est opus; non enim congruit cum illis rationibus, quas nos in reliquis vertendis secuti sumus; nos amplectitur ab auctore ipso praemissum praefatum, non minus sane, quam narrationes sequentes, elegans et politum, ac pernecessarium ad Haririi consilium et merita recte judicanda. Præterea ad eos vertendos et edendos nos adduxit quod, qui singula expresserit membra, caput non omittere debere, Arabisque nostri amatoribus jucundum fore existimavimus, opus ejus totum translatum habere, etiam in nostro tantum qualicunque labore. Singulorum, quae hic fasciculus complectitur, stromatum, nomina, in libris arabicis numeros, in hocce ubi incipient, paginis, nec non argumenta, his pencis accipe!

Prima occurrit Praefatio, nullo, nec in texto arabico, nec hac in versione, numero notata. Exarrandis operis occasione, difficultatibus, fine, benevolentiam captat, postquam summi numinis auxillum imploravit, more in omnibus, etiam ultimæ notæ, Arabum scriptis observatae.

Sequitur Concessus Zananensis, sive Sasanensis, I, p. 5, quo Haret Hammamides, vel Hammamita, narrat, quemadmodum in illa Arabicæ Felicitæ urbe Abu Seidum, oratorem ad pietatem compellentem, sed non entis abstemiam, cognoverit.

Helvaniensi II, p. 8, Haret narrat, se cum codem Abu Seido, Holvani versante, intimum amicitiam coluisse, poeta vero, cum fata separassent, cum improviso in urbe patria reperiisse, in concilio doctorum pulchritudinis humanae comparationem propementem, venustiores a laudatissimo Bechtario propinatis.

Kailano, arabice etiam Dinarja dicto, III, p. 12, mendicus claudes, a gente Kilia se oriundum dicunt, Harete cum dilectissimis viris converseanti supervenit, jussusque auream laudare, tum vituperare, utroque optime fungitur. Quo facto Haret agnoscit Abu Seidum et simulatam clauditatem excusare compellit.

Dimyatensi, II, p. 15, Haret, proficiens Damistam, in statione aliqua nocturnae tempore audiit duos vires disputantes de recta erga inimicos et gerendi ratione. Hoc sermone affectus dum nocturne confabulatores querit, videt Abu Seidum et filium ejus, qui maximis exinde ab ipso et sociis ejus beneficiis cumulati, corporis in pago vicino lavandi praetextu aufugiunt.

Cufico, V, p. 19, Abu Seidus Haretum, Cufico, nocte quadam cum amicis confabulantes, in admirationem rapit et expilat historiolā, de inopinato cum filio suo Seido concursu, quem, se insecis, Barra, mulier Mavāni ducta, sed a se relictā, pepererit. Quamvis deinde, cum Hareto solus, se filium habere negare vult. Sed in multis concessibus filius ei tribuitur, etiam in antecedente. Unde Cuficum, in quo nondum antis certe apparēt, utrum Abu Seido filius sit, nec ne, ante Dimyatensem poneadūm esse injicīt cogitatio, quippe quo id supra omnem dubitationis alcum extum est.


Mararhiensis, sive Maragiensis, VI, p. 24, arabice etiam Cheifa dictus, quod nomen, tales indicant, quorum oculus alter caesius, alter niger est, ob argumentum indiderunt, monstrat Abu Seidum, uti in scribarum Mararhiensium concilio difficile solvit problema; orationem nempe scribit, qua primi cujuscunq; verbi litterae omnes sunt punctatae, alterius cujuscunq; omnes hec ornata carcat. Oblatum ei, cognita arte, manus non accipit, quod pauper esse malit et liber, quam nunquam occupari non semper grata, nec satia perspecto.

Piane eodem, ac primam, etiam hanc secundam editionem habita externo prodire curvissim, omninoque neque labori, neque impensis pepercimus, ut gaudii et utilitatis quidpiam excrevante liguae arabicae amicis. Quod si nihilominus homines iavidi magis, quam docti, nos et labore nostra cunctu meliore capturi sint, habent sibi! Vos, qui hac opera animo candido utezimi, candidum vobis sit tempus; per omnes temporis mutationes mutationis expertem nobis servate favorem, benedicti semper, quod nunquam mutatur, numini!

---

**C o r r i g e n d u m.**

In Decadis p. 9, not. 19, pro A ad lege Hūd.



## NOMINE DEI SUMME MISERICORDIS!

Dixit Doctor gloriosissimus, singularis, Abu Mohammed Alkasem, fil. Alii,  
filii Otmani, Hariri Bazrensis, cuius Deus refrigeret sepulcrum<sup>1)</sup>!

O Deus! celebramus te ob eloquentiam, quam nos docuisti, et disserendi facultatem, quam nobis indidisti, perinde ac laudamus propter dona, quae in nos effudisti, et operimentum, quod super nos expandisti; vocamus te averruncum a nimia linguae alacritate, modumque excedente garrulitate, pariter ac oramus, defensor sis a barbariae noxa et haesitationis ignominia; rogamus, ut a nobis arceas tentationem immerita laude ornantis et indulgentia condonantis, sicuti prohibeas flagitamus, ne scopus fiamus contemtui vituperantis et opprobrio diffamantis; supplicamur, condones, quod cupiditates nos pepulerunt in fora dubiorum, uti condones precamur, quod gradus tulimus in vicos peccatorum; atque petimus a te concurrentem gratiam, dirigentem in rectam viam, cor conversans cum veritate, linguam ornatam veracitate, sermonem fultum demonstratione, assecutionem recti avertentem a declinatione, vincentia animae cupiditatem proposita, intellectum perspicientem rerum pretia, et ut directione tua nos ducas ad cognitionem, ope tua adjuves ad dilucidationem; ab errore nos arceas narrantes, a stultitia avertas jocantes, ut securi simus peccatorum linguae demetentis instar falcium<sup>2)</sup>, et infortuniorum mendaciis<sup>3)</sup> nascentium, nec accedamus ad aquationi illicitae, aut loco stemus poenitentiae, aut experiamur<sup>4)</sup> nocivas sequelas

1) Proprie: cubitum. 2) Proprie: messium, vel demessorum, linguarum, i. e. eorum, quae demetunt, caedunt, linguae. 3) Vel: verborum fuso, deauratione. 4) Vel: urgeamur, inedamur.

increpationemque acerbam, aut cogamur ad excusandam imprudentiam. O Deus, imple nostrum votum, largire petitum, nec ab umbra tua profusa nos secludas, aut manducaturo proponas nos epulas! Nam ad te tendimus precum palmam, tibi confitemur devotionem nostram et miseriam; deprecantes, ut coelitus manifestes nobis largam tuam liberalitatem, omnes complectentem benignitatem, devota prece, spei merce, tum aditum ad gratiam tuam patefaciente Mohammed, mortalium principe, intercessore exaudito die resurrectionis, quem posuisti sigillum prophetis, constituisti in supremis coelis loco excelso, et descriptsisti in libro tuo claro, dicens, et dicentium quidem es veracissimus: non ego te mitto, nisi creatorum miseritus<sup>5</sup>). O Deus, propitius sis ei et genti ejus recta via praeeounti, sociisque confirmatoribus religionis aedificii, faciasque nos horum et illius rectum cursum imitari, nec non horum omnium et illius amore adjuvari; nam tu es omnipotens, tibique precibus annuere est conveniens<sup>6</sup>!

Posthaec scias! In conventu aliquo amicorum eruditionis, cuius hoc tempore quiescit aura et extinctae sunt lampades, mentio injecta est consessuum, quos protulit temporis miraculum, doctissimus Hamedanensis, quorumque ad Abu'lbatchum Alexandrinum retulit compositionem, ad Isam, filium Hischami, narrationem, viros ignoratos, nemini cognitos<sup>7</sup>). Ibi quidam, cuius natus est imperium, et cui obedire praeda, innuit, ut pangerem consessus, sequens vestigia mirandi inventoris, etiamsi non attingeret claudicans robusti praevertentem cursum. Objeci quidem, quod dicitur de eo, qui duo componit verba, aut conserit unum duosve versus<sup>8</sup>), et subducere me tentavi stationi, qua stupet intellectus, deficit cogitatio, examinatur ingenii profunditas, cognoscitur viri pretium, et qua qui versatur coactus est, lignum quasi caedere noctu, trahere pedites et equites<sup>9</sup>), et raro salvus evadit multiloquus obtinetque caespitationis remissionem. Cum autem nollet mercatum rescindere, nec a postulato absistere, acceptam habui vocationem

5) In edit. Sil. d. Sac. legitur: verbum est apostoli nobilis, firmam habentis potestatem apud thraei dominum, auditum, fidelis. Sic Haririus primo scriperat, teste Ibn Gahuro, a quo Haririi consesus accepit Abu'labbas Scharischensis. Quoniam vero phrasis illa Korani ad angelum Gabrielem plurimorum sententiarum pertinet, postmodum Haririus usitatorem ei substituit. 6) Quanquam Romani clausulas consonantes fugient, in his tamen precibus vertendis rhythmoe finales adhibuimus, ut pro specimine sint styli, que totum opus est compositum. 7) Personae sunt fictitiae, ut Haretus et Abu Seidus. 8) Alluditur ad proverbium: qui librum aut versus componit, intellectum suum prostituit hominibus; si rectum viderit, in sublimi collectur, si erraverit, lapidibus petitur. Aliud proverbium dicit: vir gaudet vita jucunda, quando non dicit carmen, aut componit librum. 9) I. e. convergere promiscua.

ejus, ut obsequens, operam navavi imperio ejus exsequendo, ut perficiendo par, et composui, quamvis multas molestias perpetiens a vena congelata, intellectu extincto, doctrina subsidente, curis afflignantibus, quinquaginta concessus, complectentes sermonem serium et festivum, phrases lenes et solidas<sup>10</sup>), eloquentiae candores et margaritas, eruditionis pulchra et rara, praeter, quibus eos ceu baltheis cinxi, versus et venustas allegorias<sup>11</sup>), quibusque eos ceu gemmis distinxii, proverbia arabica, subtilitates doctas, aenigmata grammatica, judicia dialectorum varietate ambigua, epistolas virgines<sup>12</sup>), orationes comtas, admonitiones flebiles, ridicula exhilarantia; quae quidem omnia eloquenda commisi linguae Abu Seidi Sarugensis, narrationem fulciens auctoritate Hareti, filii Hammami, Bazrensis. Immiscendis vero ludicris<sup>13</sup>) non aliud intendi, quam ut excitarem legentes, quam plurimosque facerem petentes<sup>14</sup>). Alienorum versuum duos tantum eis intexui singulos<sup>15</sup>), quibus superstruxi concessum Holvaniensem, et duos alias geminos<sup>16</sup>), quibus obsignavi concessum Caragensem; reliquorum omnium ingenium meum est pater virginitatis<sup>17</sup>), protulitque dulce ac amarum. Haec (de me dicere habeo), agnoscens, inventorem egressum esse extremas metas, dominum esse miraculorum, et quemcunque post eum ad pangendos concessus se convertentem, etiamsi Kodamae<sup>18</sup>) eloquentia praeditus fuerit, ex illius tantum hausturum esse redundantia, illiusque ductu profecturum hac viâ; divinum sane est dictum<sup>19</sup>):

Si praevertissem illius gemitum, plorans amore Sudae, satisfecisset animo, nec poeniterem;

Sed illa me praevertit gemendo, illius meas excitavit gemitus lacrimas; praestantia ergo est praevenienti<sup>20</sup>).

Spero autem, me, dum ad hanc garrulitatem (quasi ad adaquationis fontem) adducam, huncque rivum intrem, non similem futurum illi, qui unguis sibi

---

10) Vel: subtile et graves. 11) Proprie: venustates metonymiarum. 12) L. e. primum excogitatas.

13) Proprie: plantas salmas acidasse praebendo. 14) A. v. multam facerem nigredinem (populum) petentium.

15) Scilicet diversorum auctorum. 16) Scil. ejusdem auctoris. 17) I. e. qui defloravit virginitatem. 18) Scriba Berhdadensis, multorum librorum auctor; primus, qui de arte rationaria scripsisse fertur, aucto Moktaderi Billah. 19) Versus sunt Adii, fil. Rahkai. 20) Ferunt virum, cum audivisset columbam gementem, dixisse tped eo, „haec certe columba gemit ob discessum conjugis“, ejusque exemplo motum itidem suam flevisse manifestam; tam vero semetipsum ita esse allocutum: „quid juvat fletus, quem didici a columba? Columbae erit palma, etiamne plorando attigerim extrellum!“

suis effudit mortem, aut manu sibi sua abscidit nasi mucronem, nec relatum iri in operatorum frustratorum numerum, quorum erroneum erat per vitam mundanam studium, quamquam optime se agere existimarent. Verum quidem est, etiam si indulserit prudens, errata se non advertere simulans, et defenderit amicus connivens, vix potero effugere, ne rudis ignorans, aut inimicus ignorantis speciem assumens, me deprimat ob hunc librum, et dicat, eum pertinere ad prohibita. At qui res spectare oculo intellectus solitus fuerit, cujusque in fundamentorum structuras alte penetraverit visus, ille hos consessus filo inseret institutionum, ordineque constituet tractatum, *ἀλόγων* et *ἀφανήτων* continentium sermones<sup>21)</sup>, cuiusmodi historiarum, non reperitur, qui aurem neget sonis, aut unquam criminatus fuerit relatores. Tum, si opera aestimari debent ex intentionibus, quibus vincula quoque nectuntur religiosa, quid criminis erit illi, qui fabulas composuerit ad commonefaciendum, non ad seducendum, proposuerit sibi eis corrigere, non spargere mendacia? Nonne is ejus loco habendus est, qui obedit petenti doctrinam, aut dirigit in viam rectam?

Praeterquam quod contentus ero, animo serviisse<sup>22)</sup>, et liberum ab eo evasisse<sup>23)</sup>, neque vituperatum, neque laudatum.

Deum imploro adjutorem eo, quo intendo, defensorem ab eo, quod de honestet, directorem ad id, quod recta via ducat. Non enim est refugium, nisi ad eum, nullum auxilium, nisi ab eo, nulla fortuna, nisi per eum, nullum fulcrum, nisi ipse; ei me committo, ad eum resipiscens me converto!

---

21) I. e. fabularum. 22) Proprie: desiderium talissec. 23) I. e. ab opere, ad quod ille adigebat.

---

## Z a n a n e n s i s.

Narravit Haret Hammamita. Cum conscedissem peregrinationis gibbum<sup>1)</sup> , egestate removente a sociis , fortunae casus me propulerunt Zanāam in Arabia Felice; eamque intravi vacuis loculis, conspicua inopia, ne vitae quidem sustentandae necessarium possidens, nec in pera buccellam inveniens. Atque incepi vias ejus secare instar errabundi, vagari in circis ejus instar sitibundi, quaerens per pascua meorum prospectuum, et spatia matutinorum excussum, vespertinorum recursum, liberalem, cui tererem meum sericum<sup>2)</sup> , et exponerem necessitatem, aut eruditum, cuius adspectus mihi fugaret tristitiam, relatio expleret sitim; donec obeundi finis perduxit, bonae fortunae initium<sup>3)</sup> direxit, ad concessum amplum, complectentem compressionem et lamentationem. Penetravi autem coetus silvam, ut explorarem lacrimarum causam; et conspexi in circuli medio hominem, tenui corpore, apparatu itineris religiosi, voce flebili, rhythmos componentem<sup>4)</sup> gemmis phrasium, aures pulsantem minis admonitionum, circumcidatum miscellis catervis, ut luna halone dactyline involucris. Hunc, cum lente accessissem<sup>5)</sup> , ut e praecoptis ejus ignem peterem, et unionum ejus aliquos colligerem, dum tolutim procedebat hippodromo suo<sup>6)</sup> , rudebantque extemporaneae facundiae gurguliones<sup>7)</sup> , audivi dicere: O errans, ut attonitus, in juvenili alacritate, laxans superbae imaginationis vestem, praeceps ruens in ignorantia, propensus ad ineptias<sup>8)</sup> ! quousque perseverabis in errore, gratum habens iniquitatis pastum; quem ad finem perges in animi levitate, deditus ludo? Repugnantia tua provocas tenentem antias

1) I. e. camelum. 2) Ceram quo deponere pudorem. Sericum hic notat frontem, vel genam.  
 3) Proprie: initium gratiarum. Alii vertunt: viam patefaciens blanda interrogatio. 4) Vel: orationem.  
 5) Male Schult.: praripui me ad eum. 6) Dum moderate prosequatur orationis filum. Schult. verit: cum jam incitator esset in instituto suo. Discantunt enim Arabes in explicanda voce chābbā, quae mihi videtur onomatopœica. 7) Vel: uvae, partes oris faucibus impenedentes, quae libidine percitus camelus predit. Plinio ergo errat, hominibus tantum eiusmodi uvas esse, in H. N. contendens. 8) Vel: res (dicta, facta) fatiles, vanas.

tuas<sup>9</sup>); turpitudine incessus audax es contra scientem arcana tua. Abscondis te quidem proximo, sed coram oculo es observatori tuo; latere studies servum tuum, sed nihil abditi latet dominum tuum. An cogitas, statum tibi tuum auxilio futurum esse, instante discessu; aut opes te tuas servaturas, trudentibus in exitium operibus; aut poenitentiam satisfacturam, lapso pede<sup>10</sup>); aut gentem tibi tuam veniam impetraturam<sup>11</sup>), die, quo te comprehenderit congregationis locus<sup>12</sup>)? Nonne<sup>13</sup> ibis via, quae recta ducit, festinabis curare morbum, retundes aciem transgressionis, animamque domabis<sup>14</sup>), quae maximus tuus est inimicus? Nonne mors praestitutus tibi est terminus? qui ergo te praeparas? Nonne canities te monet? et qui te excusas? Nonne in sepulcro tuus est somnus? et quid respondes? Nonne ad Deum est iter tuum? et quis auxiliator? Diu est, quod tempus te expergefecit, et connivisti; quod admonitio te traxit, et recessisti; clara tibi proposita sunt exempla, et coecitatem imitatus es; veritas tibi constituit, et rebellasti; mors te monuit, et oblitus es; data fuit juvandi potestas, et non juvisti. Praefers obolum, quem recondas, monito, quod serves; praeoptas arcem efferre, quam beneficium conferre; a ducis expetenda directione avertis te ad petendum commeatum; magis inhaeret cor tuum hyacinthis donorum, quam statis temporibus precum; licitationes nuptialium dotum praestant apud te disperdiendarum eleemosynarum officio; variorum ciborum patinae jucundiores tibi sunt, quam rerum divinarum paginae; majori tibi delectationi est jocus aequalium, quam lectio Korani capitum; jubes aequitatem, et violas ejus septum; interdicis iniquitate, nec ipse ab ea te contines; retrahis alios ab injuriis, ipse cum eis rem habes; timesque homines, cum dignissimus sit, qui timeatur, Deus. Tum recitavit:

Infelix ille, qui petit mundum, effusum eo flectens cursum!

Nunquam emergit<sup>15</sup>) ex amore ejus et modum excedente desiderio;

At, si cognitum haberet, sufficeret ei illius, quod desiderat, residuum<sup>16</sup>).

His dictis coegit pulverem suum<sup>17</sup>), siccavit succum<sup>18</sup>), brachio prehendit

9) Frontis comam. Imago est ab equis petita. 10) I. e. tq mortuo. 11) Vel: Deum fleturam. Schult.: an putas fore, ut vicem tuam delect sociorum turba? 12) In resurrectione. 13) Halt et Hallâ (quam vocem Schult. hoc loco habet bis) notat etiam agendum! Sensus tamen manet idem. 14) Proprie: in naso percuties. 15) Vel: ad se redit. 16) I. e. pauxillum. 17) Quem quasi orationis caru concitaverat. Narratur Muslamam ibn' Abdo'lmeliki, cum quidam confuse ceram eo locuti essent, hoc vero exceperisset, qui optime discerret, dixisse: hujus viri oratio, post illorum, simillima est nubi glutinanti pulverem. 18) Lacrimas.

aquae utrem, axillae subdidit fustem. Cum autem coetus animadverteret, eum se movere ad abitum et praeparare ad deserendum centrum, quisque manum inseruit sinui replevitque ei fluxus sui aliquam situlam, dicens: hoc impende sumtibus tuis, aut divide sociis! Ille accepit palpebras comprimens<sup>19)</sup>, abiit gratias agens; comitaturis valedixit, ut tegeter viam suam, secuturosque dimisit, ut sua ignoraretur sedes. Dixit Haret Hammamita. Evidem vestigia ejus legi<sup>20)</sup>, qua me videre non posset, donec pervenerat ad cavernam. In hanc incaute illapso moram concessi, donec detraxisset calceos, lavasset pedes; tunc eum oppressi. Et inveniens eum sedentem, e regione discipuli, ad panem similagineum, assatumque hoedum, et coram eis seriam vini, increpavi: heus tu! illane tu dixisti<sup>21)</sup>, et haec tui est probatio? Ille contra, suspirans ut flamma, prope aberat, ut rumperetur ira, nec desinebat torvis me intueri oculis, ut, ne in me insultaret, metuerem. Cum autem sedatus esset ignis et evanisset ardor, declamavit versus:

Indui stolam<sup>22)</sup>, ut venarer Chabizam<sup>23)</sup>, et fixi hamum in omni pisce<sup>24)</sup>.

Admonitiones meas feci rete, quo venatorem captarem et praedam.

Fortuna me eo adegit, ut cum doli mei subtilitate penetrem leonis arboretum,

Nec timeam ejus conversionem<sup>25)</sup>, nec tremeam mihi scapularum musculi<sup>26)</sup>.

Quamquam ad aquam<sup>27)</sup>, quae existimationem inquiet, anima nunquam dicit cupida.

Tempus vero, si aequa judicaret, non committeret arbitrium hominibus nequam.

Dein mihi dixit: accede et ede, aut, si mavis, surge et loquere<sup>28)</sup>! At ego, conversus ad discipulum, hunc compellavi: adjuro te per eum, quem imploras defensorem a noxa, indica mihi, quis iste? Regessit: Abu Seid Sarugensis, lampas peregrinatorum, corona eruditorum. Hic ego, unde veneram, revertens, solvi admirationem debitam ei, quod videram.

---

19) Pudorem simulans. 20) Omissa hic est in translatione phasis idem dicens. 21) D. S. Scholl. hic non bone interpretantur: istene est status tuus? 22) Proprie: vestia lanata vel serico confecta, virgata. Netat vero etiam vestem nigrum, quadratum, licet batum. 23) Cibus ex dactylis, aut amylo et defrato, cum butyro mixta. Cfr. cons. XIX. 24) Netat quoque vilius dactylium genus et lapides. 25) Schult. ad leonem refert, D. S. Scholl. vero ad fortunam. 26) Musculi inter humeram et lates, qui in equis tremeret. 27) Haec quoque imago ab equis camellie petita est. Pro aqua proprio vertendum fuisset: disquandi locus. 28) Ver. lect. ductus Schult. habet: consiste et quiesce!

---

## H o l v a n i e n s i s .

Narravit Haret Hammamita haecce. Ex quo amuleta mihi demta et cidares appensa sunt, deditus eram visitandis locis eruditionis, et emaciandis inservientibus ad ea petenda camelis, de illâ ut obtinerem, quod mihi ornamentum esset inter mortales et nubes in siti. Et ob excedentem quidem aviditatem lucrandi ejus ignem, cupiditatem induendi ejus vestem, disputabam cum omni praecipuo et tenui, potum flagitabam ab imbre et a rore, lactabar<sup>1</sup>) etiam (talibus, quorum doctrina erat) esse potest, fortasse. Cum autem descendissem Holvanum<sup>2</sup>), fratres jam expertus, explorata habens pretia, nonnescius, quid probro sit, quid laudi, inveni Abu Seidum, Sarugensem, versantem se in formulis genealogiarum<sup>3</sup>), obscuritate utentem ad faciendum quaestum, nunc praetendentem, se pertinere ad Sasanitas<sup>4</sup>), nunc genus referentem ad reges Rhassanitas<sup>5</sup>), nunc prodeuntem charactere poetarum, nunc vestitum superbiam magnatum, praeterquam quod, utut vario se ostendebat habitu, et apparebat mendacium, ornatus erat nitente vultu et doctrina, blandimentis et prudentia, copiosa eloquentia, ex tempore dicendi facultate obedienti, moribus praestantibus, pede scientiarum verticem premente<sup>6</sup>). Ob pulchritudinem itaque instrumentorum<sup>7</sup>), quamquam vitiosus, tolerabatur<sup>8</sup>);

---

1) D.S. Scholl.: fatigabar, quod minus aptum videtur. 2) Holvan, e cultioribus Irakae Arab. uribus, distans a Barhdado, inter septemtrionem et ortum, sex stationibus, ideo a poeta hic nominata esse videtur, quod per vagata erat historia de Helvaniensium palmarum pari, quod, amicitias personis diu exemplum, tandem nihilominus separatum est. Cfr. meam dissertationem de Moallaka Lebidi p. 22. 3) Male Schult: qui omnes formas versabat. 4) Ne cogites hoc loco de quarta regum persicorum dynastia! Haririas in animo habet mendicos. 5) Ham, dictus major, fil. Asfandiari, fil. Cuschtaschi, tradito a Bahmane patre regno filio Hamai, vel Hamani, mulieri formosissimae et prudentissimae, iratus ad Cardes pastores abiit. Hinc omnis generis mendicorum, egenorum, surdorum, coecorum, canca et similes circumducentium, vocatur princeps, populi permagni, cuius variae artes iporum lingua carmine exposuit Abu Dalf Charragensis. 6) I.e. reges Syriae, ita dictos, quod e Jemana huc, ad fluvium Rhassan, se contulerant. 7) Vel: in scientiarum celo ascidente. 8) Scil. sibi victimum et gloriam comparandi. 9) Proprie: vestiebatur.

ob doctrinae copiam adspectus ejus amabatur; ob decipientem comitatem<sup>9)</sup> a disputatione contra eum abhorrebatur; ob sermonis dulcorem obtinebat, quod quaerebat. Quare inhaesi ejus fimbriis propter egregias elegantias, sincerimam ei amicitiam demonstrare contendi propter pretiosas proprietates:

Eoque dispellebam curas, tempus mihi conspiciebam serenum, lucidum.

Propinquitas ejus mihi erat affinitas, mansio copia, adspectus irrigatio, vita<sup>10)</sup> pluvia.

Atque sic morati sumus temporis spatium longum, dum ille mihi quotidie parabat gaudium, de corde pellebat scrupulos, donec manus inopiae ei miscuit poculum separationis, carnis in osse defectus instigavit ad relinquendam Irakam, vitae commoditatum penuria projecit in mundi plagarum deserta, vibratum vexillum inediae eum inseruit itineris sociorum seriei, exacutaque ille acie propositi profectus est, cor regens ejus habenis<sup>11)</sup>.

Nec placuit mihi post illius discessum, quicunque adhaereret; non excitavit conjunctionis desiderium, quicunque cieret.

Non apparuit, postquam ille aufugerat, par eloquentia<sup>12)</sup>, nec amicus<sup>13)</sup>, complectens eadem ac ipsius animus bona.

Et absconditus mihi erat aliquamdiu, ignorabam ejus lustrum, nec inveniebam, qui daret certam notitiam. Cum autem, reversus a peregrinatione in rami mei plantarium, praesens essem domo scribarum, ubi conveniebant literati, concurrebant indigenae et advenae, intravit spissa praeditus barba, habitu lacero, et salutatis sedentibus consedit in hominum ultimis<sup>14)</sup>. Dein incipiens manifestare, quod uter ejus coriaceus continebat<sup>15)</sup>, in admirationem rapiens praesentes eloquentia, proximo dixit: ecquid tu libri inspicis? Respondit: carminum collectionem Abu Obadae<sup>16)</sup>, cuius agnita est praestantia. Perrexit: num invenisti in eis, quae vidisti, novi quid, quod pulchrum existimes? Respondit: certe, dictum ejus:

Quasi ridens detegat margaritas ordine consertas, aut grandinem, aut parthenium<sup>17)</sup>.

9) Secundum alios: eloquentiam. 10) Quod praeferit Schult.: Mohaijs, vultum, non patitur metrum. 11) Proprie: funibus. 12) Vel: aequa praestans. 13) Vel: bonis dotibus praeditus. 14) I. e. inter eos, qui ultimi venerant. 15) I. e. quod sciebat. In explicatione Sacyana falso est laijanat pro lubnat, lac. 16) Abu Obada, vel Ubada, false Ibada et Ebada, appellatur Valid bia Abid Albochtari, mortuus an. Heg. 206, Chr. 879. 17) Vel: matricaria, chamomilla, anthemis; cfr. Jonesii Poet. As. Comm. p. 110.

Hoc enim versu plane singularem inclusit comparationem. Resumuit ille: o miraculum, o quam interiit eruditio; pro pingui habuisti tumidum, et flando excitare voluisti ignem, cui deest materia; heu, quantum distas a versu eximio, dentium comparationes complectente hocce! et declamavit:

Anima redimam dentes, per labia diducta suaviter nitentes, aqua ornatos, omnis alius aquae desiderium eximente!

Produnt margaritas recentes, grandinem, parthenium, palmarum flores, bullas innatantes vino.

Atque omnes, qui aderant, hunc versum reputabant bonum et dulcem, petebantque, ut eum repeteret et dictaret. Interrogatus deinde, quis eum pepigerit, et, vivatne compositor, an mortuus sit, respondit: per Deum<sup>18)</sup>! veritas dignissima est, cui obsequamur; audiri debet, quod res est: ille ipse (est compositor), qui hodie vobiscum confabulatur. Dixit; sed coetus videbatur dubitare de derivatione ista, nec fidem praebere suum esse dicenti. Advertens igitur quod mentem eorum subierat, intelligens animis eorum retentam reprobationem, metuit, ne vitium sibi adspergeretur, et repetivit verba Korani, „nonnulla suspicio est peccatum,“ tum dixit: o carminum tradidores, sermonis aegroti medici! substantiae sinceritas exploratur fundendo, veritatis manus findit vestem dubitationis, et jam antiquis temporibus dictum est, probatione vir honoratur aut contemtui fit; et ecce! offero thesaurum meum<sup>19)</sup>, ut examinetur, porrigo peram, ut specimen inde promatis. Protinus ibi praesentium unus dixit: versum habeo, cuius non texi solet liciatorio, cujusque nulla vena edidit similem; si itaque vis delinire corda, versum pange hoc modo! et declamavit:

E narcissis pluit margaritas, rigantes rosas, et mordet zizypha<sup>20)</sup> grandine.

Non autem oculi nictu diutior, imo brevior, interposita erat mora, cum declamaret hoc rarum:

Visitantem rogavi, ut detraheret ricam rubram, auribusque meis optimum deponeret nuntium.

Removit itaque crepusculum tegens lunae splendorem, et sparsit margaritas e sigillo odoro.

---

18) Proprie: juramenta Dei! 19) Proprie: absconditam meam. 20) Baccas scil. zizyphus fert rubras.

Hanc ob extemporem facundiam stupentes, qui aderant, innocentiam ejus agnoverunt. At cum se videret illorum sermone suo benevolentiam consecutum esse, ita ut jam effuso cursu aggredierentur ipsum honorandi viam, momentum oculos demisit, tum dixit: tenete duos alios versus! et declamavit:

Accedens die discessus serio destinati, vestibus atris, mordebat digitos ut poenitens, desperata.

Nox lucebat super aurora, utramque sustinebat virga, beryllos masticabat margaritis.

Ibi homines grande ei statuerunt pretium, largam praedicarunt ejus pluviam, beneque conversantes pulchrum fecerunt ejus corticem. Dixit, qui hanc historiam retulit. Cum autem viderem flamas carbonis, coruscationem splendoris, longius proiectus sum in ejus consideranda physiognomia, oculum libere pasci sivi in ejus vultu, et ecce! senex erat Sarugensis, cuius tenebrosa nox<sup>21)</sup> jam Iunae sparsa erat lumine. Itaque mihi gratulatus adaquationem ejus, festinavi ad osculandam manum, et dixi: quid mutavit habitum tuum, ut te non cognoscerem, qua re tua incanuit barba? Ibi orsus est.

Turbantes adversitates canum me fecerunt. Nam fortuna homines versat;  
Cuicunque die quodam obsecuta est, crastino durum in eum dominium exercet.  
Ne confidas igitur fulgoris ejus splendori, utpote decipienti!  
At si eadem adversitates contra te incitaverit et congregaverit, tolera!  
Auro enim non est dedecori versari in igne.

Posthaec surrexit, relinquens locum suum, secum asportans corda.

---

21) Nigra coma.

---

## K a i l a n u s.

Retulit Haret Hammamita. Conseruerat me et amicos quosdam consessus, quo nullus frustrabatur vocans, nec fallebat igniarii percussio, nec flagrabat ignis rixae. Dum autem certatim trahebamus lacinias declamationum, afferebamus novas historias, enī stetit prope nos persona, trita veste induita, incessu claudicans, et dixit: O electissima thesaurorum, gaudia<sup>1)</sup> familiarium<sup>2)</sup>! conduceat vobis oriens dies, laeto fruamini jentaculo, et adspectu dignemini virum, cui olim erant convivia et liberalitas, bona et dona, agri et pagi, patinæ et hospiti (praeparati) cibi; sed, non cessantibus tristibus negotiis, bellis aerumuarum, scintillis malae invidiae, vicissitudinibus atris, carere tandem incepit vola, calva evasit area, subsedit scaturigo, non convenit<sup>3)</sup> mansio, diffluxit conventus, duritie laesit aocubitus, mutavit se status, ejulavit familia, vacaverunt stabula, miseruit aemulans, periit loquens et silens, deflevit invidus et convitians; eoque adacti sumus fortuna in aerumnam conjiciente, paupertate ad pulverem deprimeante, ut calceus esset dolor, cibus angor, intus haberemus incendum, intestina complicaremus fame, oculos tingeremus insomniā, valles eligeremus habitacula, molles reputaremus spinas, oblivisceremur sellarum camelinarum, laudaremus mortem deleturam<sup>4)</sup>, tardum censeremus diem natalem! Estne ergo in vobis ingenuus medens, liberalis consolans<sup>5)</sup>? Nam, per eum, qui me produxit gente Kaila<sup>6)</sup>! frater evasi egestatis; non habeo, quo me sustentem unam noctem. Dixit Haret Hammamita. Condolui ob ejus miserias<sup>7)</sup>, sed, cupidus eliciendorum ejus rhythmorum, ostendi ei aureum et dixi exploraturus: hunc si laudas versibus, tibi est certus. Quibus auditis occoepit declamare, nec tardans, nec aliena sibi arrogans:

1) Vel: lacti nunci. 2) Vel: societatum. 3) Proprie: extalit ee. 4) Vel: eradicantes, extrie dantes.

5) Vel: adjuvane. 6) Kaila dicitar tribus Arabum, nec non filia Arkami, Gassnitæ, mater Ausi et Chosragi, a quibus duobus prodierunt Alansir, Mehammedis adjutores; pro Alchaerag false legere suadet Schult. Alcharaz. 7) Vel: inopiam.

Laudetur<sup>8)</sup> aureus, cuius splendet flavedo, mundi plagos secat cursus, longissima sunt itinera,

Percrebruit fama et gloria, lineamenta commissum sibi servant intimum<sup>9)</sup> pluti;

Cujus superbo incessui se adjungit conatum successus, omnibusque mortalibus amatus est candor,

Quasi liquatis cordibus esset ortus; quem qui crumenam continet, animosus est,

Etiam si perierint aut tardarint liberi! Euge venustatem ejus et splendorem,

Et euge commoda ejus et auxilium! Quot imperantes non nisi ejus ope jussa sua ad finem perducta viderunt;

Quot beati<sup>10)</sup> sine eo manasissent in miseria; quot aerumnarum exercitus dispulit ejus impetus;

Quot lunae plenaes ad descensum adductae sunt ejus copiis<sup>11)</sup>; quot iratis, quorum arderet carbo,

Ejus audito clandestino alloquio sedata est vehementia; quot captivos, quos prodiderat cognatio,

Hic liberavit, ut clarum eis esset gaudium; quot dominii jura<sup>12)</sup> ejus produxit creatio! Ni obstaret religio, dicerem: summa ei est potestas!

His declamatis porrexit manum dicens: vir ingenuus perficit, quod promisit, ut nubes effundit, postquam intonuit. Aureum ergo ei projecit et addidi: sume eum, haud tristi animo donatum. Ille, ori eum indens, inquit: benedictus sit a Deo! tum, gratiis actis, se accinxit ad abeundum. Mihi vero facetiis ejus suborta desiderii ebrietate, tam leve videbatur contrahendi aeris alieni facere initium<sup>13)</sup>, ut, extracto aureo altero, dicerem: visne hunc vituperare, dein tibi habere? Et ex tempore declamavit, altiore et canora voce, festinans:

Pereat deceptor, infidelis, flavus, praeditus, ut simulator, duabus faciebus,

Duabusque conspiciens apprens formis, ornamenti amatorum et coloris<sup>14)</sup> amantium,

Ipxius amore seducens judiciis<sup>15)</sup> praepositos ad comparandam Domini iram;

Qui si non esset, non abscinderetur dextra furis, non videretur injuria tyranni,

Non abhorret avarus a nocturno visitatore, nec quereretur dilatus dilationem tardantis;

8) Falso vertitur: laudo. 9) Errat Schult. explicare: lineamenta nummi aurei arcanum opulentiae commendant. Non reprehendendus est Scholiastes, qui Sirr cepit pro „optimum rei, praestantis- sima pars;“ rejicula vero est lectio Audaat pro Udat. 10) Vel: meticulosi. Cfr. Giggeium. 11) Non male Schult. vocem Badrat explicat: facies, oculus lunae instar refulgens. D. S. Scholl. habent: pondus decies mille drachmarum. 12) Possunt haec verba etiam accipi pro juramento: per dignitatem Domini, ejus eum produxit creatio! 13) Schult. nitens variante, vertit: prima auspicia sensi aeris alieni contrahendi. 14) Qui est flavus. 15) Proprie: veritatibus.

Nec Dei auxilium imploraretur contra osorem sagittis<sup>16)</sup> potentem, nec rebellaret creatus creatori<sup>17)</sup>;

Cujus malis ex moribus hoc quoque est, quod opem non fert in angustiis,  
Nisi fugerit, ut fugit deserens servus! Bene illi, qui de fastigio eum dejecerit,  
Et amici modo insusurranti responderit sermone veraci, probi: displace tua conjunctio,  
discede!

Dixit relator. Excepi: quam copiosus tuus est imber! Resumis: promisso vero inest, quod magis cogat<sup>18)</sup>. Afflavi<sup>19)</sup> eum itaque aureo altero, adjiciens: serva eos primae Suratae amuleto<sup>20)</sup>). Ille vero, aureo in os inserto et ad geminum addito, discessit laudans matutinum excusum, extollens donantem et donum<sup>21)</sup>). Dixit Haret Hammamita. Cor mihi meum clanculum innuit, eum esse Abu Seidum, clauditatem autem dolum; rogavi eum itaque, ut reverteretur, et allocutus sum: ornata tua oratione jam proditus, incessu utere recto! Respondit: si tu es Hammamita, honorificentissimam tibi salutem dico, optans, ut diu vivas inter liberales. Resumsi: ego sum Haret; qualis vero tuus novissimis his temporibus status<sup>22)</sup>? Respondit: duplice vivo statu, miseriae et commoditatis; duobusque vensor cum ventis, vehementer et leni. Perrexi: qui vero potuisti te simulare claudum? tui similis non jocatur<sup>23)</sup>). Ibi abscondente sese, quae modo revelata apparuerat, hilaritate, tergum vertit declamans:

Clauditatem simulavi, claudicandi non cupidus, sed ut pulchram portam laetitiae;  
Dein, freno tergo meo immisso, via tenderem, qua tendit, qui iumentum suum libere  
exspatiari patitur<sup>24)</sup>,

Reprehendentibusque respondere possem: excusate, claudio non est vertendum vitio!

16) D. S. SchoH. interpretantur: angitis maledictionum. Castellus suggestit: jaculatorios et penetrantes adspectus. 17) Comma, „nec rebellaret“ etc., in plurimis et antiquissimis MSS. deinceps dicit S. d. Sac. 18) A v. At promissum (vel pactum) pollutius est. 19) Saepius occurrit pro: donare. 20) Interpretantur haec: gratias age Deo! quia primum Korani caput (Mathani) incipit verbis: laus sit Deo! Sed magis arredit: tanquam sanctissimo amuleto hoc surnum tibi servetur, ut possessione ejus diutissime gaudeas! 21) Schult.: conciliabulum et ejus munificientiam. 22) Non bene Schultenius vertit: quis status, quae fortunae? Proprie enim transprendam esset: quis tibi status et fortunae casus? Et antem hic notat cum, ita ut sensus sit: quomodo tu te habes cum fortunae casibus? 23) Posset tamen etiam verti: tui similis non macilenta sit, non ad paupertatem redigitur. 24) Nimirum libere Schult.: qui nutant in religione. Maraga est hoc loco: camelum pascere ait. Schult. vertit quasi media caset Koerata. Schol. apud Schult. habet: qui miscet serum joco.

## D i m j a t e n s i s ').

Commemoravit Haret Hammamita. Profectus sum Damiatam anno, quo ultro citroque pellebamur<sup>1)</sup>). Spectabar autem tum temporis statu commodo<sup>2)</sup>, amabar a fratribus<sup>4)</sup>, tractabam vestes limbatas opulentiae, revelatam conspiciebam faciem laetitiae<sup>5)</sup>, et habebam socios, qui confregerant baculum dissidii, sugebantque concordiae plenum uber<sup>6)</sup>, ita ut aequalitate splenderent instar pectinis dentium, voluntatum conspiratione una viderentur esse anima. Nihilominus proficiscebamus, quasi salus posceret<sup>7)</sup>, celerrimis<sup>8)</sup> tantum vehebamur jumentis, et descendentes iu[m] mansione, aut aquam haurientes e rivo, moram corripiebamus, cunctationem evitabamus. Nocte quadam juvenilis<sup>9)</sup> comae praedita nigrore, corvo simili quoad cutem, iter forte continuabamus, donec tenebrae exuerant juventutem, et aurora earum abstaserat tinturam<sup>10)</sup>, ubi fastidentes pergere, desiderantes dormire, inventa regione, cuius graminosi erant colles, lenibus afflati euris<sup>11)</sup>, hanc eligebamus cubitum camelis, stationem diluculo paullum quieturis. Cum autem turba miscella<sup>12)</sup> descendisset, sellarum stridor et camelorum barritus obmutuisset, audivi validum voce e viris, dicentem confabulatori suo in mansione: Qui tibi mos est vivendi cum aequalibus tuis et vicinis? et respondentem: Amice tructo vicinum, etiamsi injuste agat; mihi illum quoque conjungere studeo, qui insultet; tolero consortem, utut turbet<sup>13)</sup>; diligo propinquum, vel si potum

1) Demista, quae nunc in Aegypte floret, non plane eadem est cum hac, quam Hariri intendit. Quia urbs haec, sita illo loco, ubi Nil brachium orientale in mare influit, solita erat Francorum exercitibus statio, Moalem cana vastarant, aliquaque remotiorem loco ejus considerant. Cfr. J. D. Michaelis ad Abulfodose Descr. Aegypti p. 115, not. 249. 2) Vel: ubi ultro citroque proficiscebantur homines. A. v. impulsionis et ropulsionis. 3) Schult.: a lactiore fortuna respiciebar. Sed si hoc voluisset auctor, non adhibuisse vocem rachā, quae notat potius commoditatem, quam afferit lactior fortuna. 4) A. v. amatus fraternitas, vel fraternitatem contrahendi. 5) Ut sponsam. 6) Proprie: lac, quod inter binas mulieres colligitur in uberibus. 7) D. S. Scholl. n. agā pro certo currendi modo habent. 8) Vel: stolidē praecepitibua. 9) A. v. juvenili quoad adolescentiam. 10) D. S. Scholl.: a manu sua abstaserat tinturam tenebrarum. 11) Proprie: lenibus afflata curia. 12) Vel: comites. 13) A. v. etiamai turbationem manifestet.

fervidum<sup>14)</sup> infundat; amicum praefero fratri germano; socio pacta servo, quamquam decimam non rependat partem; largissimum hospiti datum leve existimo<sup>15)</sup>; ejusdem mecum cameli equitem<sup>16)</sup> beneficiis demergo; confabulatorem nocturnum habeo loco Amiri; familiarem colo ut principem; noto<sup>17)</sup> trado quaecunque donare habeo; comitem bonorum meorum statuo arbitrum; leni oratione alloquor osorem; persevero interrogare de eo, qui me negligit; vice soluti promissi contentus sum ramento; pro remuneratione minutissimam acceptam habeo particulam; nou laedo<sup>18)</sup>, quando laedor, nec ulciscor<sup>19)</sup>, etiamsi momorderit variegatus serpens. Ad quae socius regessit: Vae<sup>20)</sup> tibi mi filiole! servatur qui ipse servat, et inhiatur pretioso; sed non accedo ad illum, qui non vicissim accedat<sup>21)</sup>; non signo ob servantia mea fastidiosum; non puram exhibeo amicitiam neganti aequitatem; non fratrem voco vincula negligentem<sup>22)</sup>; non adjuvo fallentem spes meas; non curo solventem connexum; non blandior ignorantii meum pretium; non trado habenam meam illi, qui foedus rumpit; non largior amicitiam adversariis; non vanum esse sino, quod comminabar hostibus; non planto dona terrâ inimicorum<sup>23)</sup>; non auxilium fero<sup>24)</sup> gaudenti de infortunio meo; non illius misereo, qui gaudet de interitu meo; non dono<sup>25)</sup> muneribus meis selectis, praeterquam dilectos; non medicinam rogo alios, quam amatos; non intimam amicitiam dedico alii, quam farcienti meam rimam<sup>26)</sup>; non sincerus sum illi, qui meam vult mortem; non vota pro illo facio sincera, qui non implet peram<sup>27)</sup> meam; non effundo illi gratias meas, qui evacuavit vasa mea. Et quis unquam rectum judicet, ut ego donem, tu retineas; ego mollem me praestem, tu aspere agas; ego liqueam, tu congeles; ego ardeam, tu flamma sis sedata? Non, per Deum! Verbum verbo pendamus, ut penditur aurum<sup>28)</sup>; facta aequa eae, ut soleae aequantur calceorum; ut securi simus a fraude, defendatur a nobis mutuum odium! Si non — cur ego tibi potandum dem, tu me abigas; ego te juvem<sup>29)</sup>, tu me despicias; ego pro te

14) Puta: gehennae. 15) Schult. simpliciter: confero larga dona. 16) Proprie: euna, qui in altero cameli latere equitat itaque annus coequat. 17) Proprie: notia. Perperam Schult.: iis, qui me norant. 18) Schult.: non queror de injustitia. 19) Schult.: non negre fere. D. S. Scholl. et Castellus non place convenient in constituenda verbi nō nō significatio. 20) Vae, dicunt acholia, tantum esse exclamationem mirantis vel increpantibus. Hoc nō est verum; saepē esse exclamationem commissantis condolentisque, sequentes narrationes ostendent. 21) Vel: subveniat. 22) Vel: irrita facientem. 23) Hoc comma Schult. deest. 24) D. S. Scholl.: non candens, ne mihi, bonorum meorum partem tribue illi. 25) Schult. male: non donari me patior. 26) I. e. inopiam. D. S. Scholl. primariam vocis notionem, quam indigit adjectum Sadda, obturavit, prætervident. 27) Vel: vas, thecam. 28) Proprie: pondus. Nominatur vero sic etiam nummus aareus. 29) Vel: portem.

acquiram, tu me vulneres; ego ad te veniam, tu me ire sinas? Quomodo aequitas emi<sup>30)</sup> potest injuria; qui sol radiare cum nubibus; quando amor socius esse violentiae; et quis ingenuus contentus fuit conditione depressionis<sup>31)</sup>? Divina sane sunt patris tui verba:

Qui amorem mihi suum appendit, praemium ei do illius, qui super fundamento suo exstruit;

Admetior amico, prout mensus est mihi, modio pleno aut deminuto;

Nec eum frustro; nam pessimus est mortalium, cuius hodiernus dies non respondet hesterno<sup>32)</sup>;

Et quicunque apud me petit fructum, non aliud decerpit, quam quod plantavit;

Non animus est decipere, neque vero abire, ut cuius manus complosione deceptus est sensus;

Nec mihi impono officium erga eum, qui sibi non imponit officium erga me.

Saepe quidem, qui impurum foveret amorem, credidit, me sincerum ejus esse amicum, quamvis simularet;

Sed non intellexit prae ignorantia, me creditori meo debitum solvere eadem moneta.

Et fuge eum, qui te stultum aestimat, fugā odii, eumque cense ut sepulcro conditum;

Ac cuius amicitia est dubia<sup>33)</sup>, monstra te illi vestem ejus, a cuius familiaritate abhorretur<sup>34)</sup>;

Nunquam autem amorem spera ab eo, qui te putet pecunia egere sua<sup>35)</sup>!

Dixit Haret Hammamita. Auditō autem mutuo amborum sermone, desideravi spectare ipsorum personas; cum itaque appareret filius solis<sup>36)</sup>, et coelum involveret luce, surrexi, antequam loco moverent camelī vectarii<sup>37)</sup>, et non<sup>38)</sup> ut mane prodit corvus, incepique versus tractum vocis illius nocturnae tendere, stricta oculi acie observans facies, donec conspexi Abu Seidum et filium ejus conversantes, indutos vestibus duabus grossioribus laceris. Quos animadvertis mihi fuisse collocutores noctis, auctores institutionis, adii, captus eorum lenitate, dolens egestatem, et invitavi<sup>39)</sup>, ut ad meam se conferrent stationem<sup>40)</sup>, meaeque domini essent copiae et inopiae. Atque incepi virtutem eorum divulgare inter

30) Vel: adduci. 31) Vel: diminutionis. 32) Schult. vertit: enjus dice damnum fecerit prae matre sua. Legit Om̄ pro Am̄. D. S. Scholl. hic nihil interpretationis addunt. Videtur Haririū dicere voluntate: qui non gratus est pro beneficiis praeterito tempore acceptis. 33) Proprie: cuius in amicitia est obsecritas, dubium. 34) Schult. certe variante lectione ductus: inde vestem abhorrentis a familiaritate ejus. 35) Finit hic disputatio de optima inimicos tractandi ratione, qua manifesto contendantur praecepta religionis christianae cum veterum Arabum placitis, qui nimis inclinabant ad talionem. Cfr. Iba Doreidi Idyllium v. 136, 152, 153. 36) Filius solis est aurora. Sak̄a, hoc loco nom. pr. significans solem, proprie videtur notare ardorem, flammam. 37) Perperam Schult.: vectores. 38) Non ut, phrasis dicitur esse non mere arabica, sed Irakensium. Non raro Haririū ea utitur, significatque, magis, vel plus quam. 39) Vel: permisi eis. 40) Perperam: ad meam sellam.

viatores, ac arbores eis concutere fructiferas, ita ut mergerentur muneribus et haberentur amici. Eramus autem mansione, unde distincte notari poterant aedificia pagorum, clareque spectabamus ignes hospitalitatis. Cum itaque Abu Seid marsupium suum videret impletum, miseriam fugatam, dixit mihi: corpus meum est sordidum, squalor firmus; permittisne mihi, ut pagum accedam, me lavatum, hancque curam dispulsum? Respondi: si hoc vis, festinatio! festinatio! et redditus! redditus! Reposuit: invenies me citius tibi supervenientem, quam oculus a prospectu revertatur tuus. Tum effuso cursu abiit, ut celer equus in hippodromo, filio dicens: festina! festina! Nos autem, non putantes, eum decipere et fugere, morabamur eum exspectantes, ut exspectantur festorum novae lunae et explorabamus de eo exploratoribus et quaesitoribus, donec lux senuerat et prope aberat, ut diei crepido<sup>41)</sup> corrueret. Cum itaque meta<sup>42)</sup> exspectationis nimis esset longinquia, et sol luceret (nebularum vespertinarum) laceris pannis, dixi sociis: modum excessimus morando; distulimus profectionem, usque dum amisimus tempus; jam autem clarum est, virum mentitum esse; paramini igitur ad iter faciendum, nec cujusquam fimeti oculos vestros in se convertito viriditas<sup>43)</sup>! Ipse vero surgens, ut pilento instruerem camelum, et sarcinas imponerem profectionis causa, Abu Seidum inveni sellae camelinae inscripsisse:

O tu, qui mihi brachium fuisti et auxilium p[re]e omnibus mortalibus!

Ne existimes, me aufugisse fastidio aut modum excedente petulantia;

Semper<sup>44)</sup>, ego ex iis eram, qui cibati dilabuntur<sup>45)</sup>!

Addidit (Haret). Coetum, ut sellae inscriptionem legerent, admonui, quo, quem vituperaverant, eum excusarent. Hi vero, lepidum ejus sermonem<sup>46)</sup> admirantes, Deum implorabant averruncum ab ejus noxa. Tum perreximus, nescii, quos jam ille nostrum loco elegerit alios.

---

41) Dies flumini comparatur. 42) Vel: spatium exspectationis nimis esset longum. 43) Non multi pretii habentur graminis in profectorum scenitarum relictis fmetis nascentia, quamquam perviridia; hinc fmeti viriditate proverbialiter designatur species boni, cui non subest verum commoda um. Occurrit hec proverbium etiam Cons. XVIII. A Mohammodo ortum fertur, qui cum aliquando dixisset, „cavete vobis a fmetorum viriditate“, interrogatus, quid ista phras[is] intenderet, responderit: pulchram pulchram haud lacabiliis plantas, i. e. originis. 44) A. v. ex que non desino; quod Scholl. explicant: dum vivo. 45) I. e. qui hospiti nolunt molctias creare diutius commorerent. Verba sunt desumpta ex admonitione Mohammedis (Kor. Sur. XXXIII., 58), qui post mensam soles esse vellet cum mulieribus suis. 46) D. S. Scholl. hoc vocabulum explicant per: quod decerpserunt apes. Sed apium mentio hic sene non erat necessaria. Rectius Teblichus in Schult.: charastu atthamrat i. e. kathatuhā.

### C u f i c . u . s.

Commemoravit Haret Hammamita. Cufae confabulatus sum nocte, cuius facies erat bicolor<sup>1</sup>), cujusque luna referebat amuletum<sup>2</sup>) argenteum, cum sociis nutritis lacte eloquentiae, oblivionis syrma trahentibus super Sachbano<sup>3</sup>). Nemo eorum erat, a quo disci non potuisset, aut a quo sibi cavere necesse fuisset; ad unumquemque inclinabatur, a nullo abhorrebatur. Et fascinavit nos confabulatio, donec occiderat luna et dominata est vigilia. Cum autem velum expandisset sinceri nigroris nox, et nihil restaret quam dormitientis nutatio, audivimus a porta sonum latratum crientis<sup>4</sup>), quem sequebatur pulsatio petentis, ut aperiretur. Diximus ergo: quis nos accedit nocte atra? Respondit:

O homines hujus recessus, a malo sitis liberi, nec obviam habeatis, quoad vivetis, noxam!  
Nox densa ad septum vestrum pepulit virum capilli disiecti, pulverulentum,  
Fratrem itinerum diuturnorum, longinquorum, donec evasit curvus, pauper,  
Similis novae coeli lunae, cum primum splendet. Quin aream vestrarum oppressit indigus  
pudens<sup>5</sup>),  
Prae omnibus aliis mortalibus vos adiens, ut quaereret hospitium<sup>6</sup>) et quietem.  
Hospitem igitur accipite contentum, ingenuum, qui acquiescit dulci et amaro,  
Certeque a vobis discedet, benignitatis vestrarum laudem spargens!

Dixit Haret Hammamita. Cum autem sermonis dulcedine nos fascinasset, et cognossemus, quid esset pone fulgur ejus, festinavimus aperire portam, ei

1) D. S. Scholl.: quod nocte incipiente luna luceret, deinde vero occideret. Sed cur non: cuius obscuritas lunae lumine erat illustrata? 2) Scil. eiusmodi amuleta similis sunt lusulae, vel petius soleae ferreae equi. 3) Dicitur hunc veterum Arabum oratorem, cum duas conciliare vellet gentes, per dimidium diem locatum esse, nec unum repetuisse verbum. Cfr. Decas ed. alt. p. 1. 4) I. e. hospitis. Arabes, dicitur, noctu migrantes latram ciere solent, ut viam rectam inveniant. Posset vero et hac Scholl. animadversione superstosari, cum hominibus noctu accedentibus etiam invitis canum latratus oritur. 5) I. e. qui, quod opus habet, sperne fateri non audet. D.S. Scholl. non consentiunt cum lexicis; illis enim auctoribus designatur, qui aperte mendicatur. Dissensus ortus videtur ex ea verbi notione, qua est: irrue, urgere. 6) Vel: cibum hospitalem.

obviam ivimus salutatione <sup>7)</sup> , et diximus puero: heus! heus! affer quod est param-  
tum! Dixit hospes: per eum, qui me constituit in septo vestro! non adlambam  
cibum vestrum, nisi sposonderitis, vos me non habituros molestiam, nec mei  
causa vobis imposituros esum. Saepe enim esus <sup>8)</sup> cruditate afficit edentem, et  
conviviis ei interdicit; pessimus autem est hospes, qui imponit gravia, excipien-  
tiique affert noxam, praesertim noxam corpori adhaerentem, in morbos adducen-  
tem; nec dicit proverbium pervagatum <sup>9)</sup> „optimae coenae sunt lucentes <sup>10)</sup>“ , alia  
mente, quam ut, mature coenantes, abstineamus a nocturnis epulis, quae reddit  
luscitiosos; nisi quando, o summe Deus! ardet esurie et prohibet a somno.  
Dixit; et quasi nostram voluntatem perspexisset, aut ab arcu propositi nostri  
jecisset, re vera ineundo pacto ei gratificati <sup>11)</sup> sumus, et gratias egimus ob  
aequabiles mores. Cum autem puer adulisset, quod in promtu erat, et inter nos  
accendisset lampadem, considerabam illum, et ecce! erat Abu Seid. Quare socii  
dixi: proficiat vobis, qui advenit, hospes, vel potius frigida <sup>12)</sup> praeda! Nam,  
quamquam occidit luna (lucens) domo Sirii, orta est luna poëticae, et quamquam  
occidit plena luna Natrae <sup>13)</sup> , jam splendet plena luna prosae. Et invasit eos ardor  
laetitiae, avolavit somnus ab oculorum hirquis, rejicientesque quietem, ad quam  
tetenderant, reversi sunt ad explicandam festivitatem, quam complicuerant. Abu  
Seidus quidem intentus erat manuum suarum labori, donec, cum tollendae mensae  
tempus venisset <sup>14)</sup> , diximus: delecta nos enarratione cuiuspiam e confabulationibus  
tuis egregiis, aut itineribus tuis mirandis! Respondit: expertus sum mira, quae  
nemo vidit videntium, nec ullus tradidit tradentium; ad maxime autem mira  
pertinet, quod spectavi hac nocte, antequam superveni vobis <sup>15)</sup> , et ad vestram  
tetendi portam. Petivimus itaque, ut referret, quod novum vidisset, libro vagans  
gradu, et dixit: Peregrinationis arcus me expuerunt in hanc regionem, famelicum,  
miserum, gestatorem perae vacuae, ut cor matris Mosis <sup>16)</sup> . Surrexi itaque per  
silentium <sup>17)</sup> tenebrarum, quamquam pedes dolebant, ut quaererem virum ex-

7) Scil. dicendo: amplio et commodo fruari loco! 8) Proprie: buccella. 9) A. v. cajus vagator vagans.

10) Vel: detectae, ut facies mulierum, quarum sunt reiecta vela. Id vero est: diurnae. 11) Vel: con-  
suetudinem cum eo inivimus. 12) I. e. jucunda. 13) E mansionibus est luna; duas scil. stellae epithumes  
intervallo separatae, inter quas ut nebula appetet nasus leonis. Notat vero etiam proem, sive orationem  
sparsam, non vinctam. 14) A. v. cum id, quod prope cum erat, postularerit, ut tolleretur, vel, tolli vellet.  
15) Accusatur Hariri, quod hoc verbum non recte adhibuerit; sed liber est a culpa, si, quae Castellus  
de hoc verbo habet, agnoscimus. 16) Quid spe vacuum erat. 17) A. v. cum quiesceret (daret) nox.

cipientem, aut acquirerem orbiculum panis, et pepulit me agaso famis, et fatum, cui cognomen est pater miri, donec constiit ad portam domus, et properanter dixi:

Salvete habitatores hujus domus! Vivatis commoditate vitae suavis<sup>18)</sup>!  
Nonne apud vos filio viae pauperi, itineribus emaciato, nocte tenebrosa erranti,  
Intestina aestuanti, famem comprehendenti, qui biduum non gustavit cibi saporem,  
In terrane vestra ei est refugium? Nam jam obsecravit ala tenebrarum demissarum,  
Estque vitae statu quietis experts. Et estne hac mansione dulcis potum,  
Qui mihi dicat: baculum abjice et intra, gaude humanitate et cibo hospitali prompto!?

Dixi<sup>19)</sup>, et prodiit hinnuleus<sup>20)</sup>, super quo erat palla, et inquit:

Per sanctitatem senis (Abrahami), qui sanxit hospitalitatem, et peregrinationis scopum  
fundavit in matre urbium!

Nocturno visitatori, si talis supervenit, nihil apud nos est, quam sermo et cubitus in  
septo.

Quomodo alios hospitio excipere potest ille, cujus somnus fugatur fame, et ossa rasa  
sunt ejus impetu!

Quid tibi videtur de his, quae retuli, quid videtur?

Excepi: quid agam mansione vacua, statione socii paupertatis? Sed, o  
juvenis, quod tibi est nomen? jam enim intellectus tuus in admirationem me  
duxit. Respondit: nomen mihi est Seid, et patria Feid<sup>21)</sup>; heri hanc in regionem  
veni cum avunculis ex Absitis. Duxi: auge me luce, tu, qui vivas et extollaris!  
Dixit: narravit mihi mater mea Barra, quae, ut nomen edicit, est pia, se anno  
invasionis Mavâni<sup>22)</sup> nupsisse viro e primariis Sarugi et Rhassâni; hunc vero,  
cum ejus animadvertisset gravitatem, quod esset astutus, prouti ferant, secreto  
eam deseruisse, ne cdum rediisse<sup>23)</sup>, et ad hoc usque tempus nesciri, vivatne, ut

18) Proprie: humefactae, uvidae. 19) Proprie: dixit. 20) Pr.: foetus vaccae silvestris. 21) Feid, vel Feid, D. S. Scholl. dicunt stationem in via Meccae; quae tamen animadversus est nullius pretii, cum multis viso Meccam ducant. Ex Abulfeda, ed. Remmel, p. 81 scimus: urbem esse parvam in Nagdo, media via, qua peregrini religiosi Irakae incedunt a Cufah ad Maccah. 22) Et hic D. S. Scholl. nimis periclitare dicitur in via Meccae." Ex Scholl. ad Hamasam discimus, Mavâni dictum esse locum inter Rabessem (quae traditur in pagis ad Medinam pertinentibus) et Nokram, quam invenimus in via Medina ducente Feidem. 23) A. v. et huc tractim.

exspectetur, an mandatus sit sepulchro deserto. Perrexit Abu Seid: signis autem fidis cognovi, eum filium meum esse; manus tantum vacuitas me prohibuit, quominus me ei notum facerem; ob hanc ab eo discessi jecore contuso, lacrimarum torrente effuso; et num unquam, o prudentes! audivistis, quod hoc miro magis esset mirandum? Respondimus: minime, per eum, cui est (clarissima) scientia libri <sup>24)</sup>? Perrexit: redigite eam in ordinem singularium eventuum, memoriamque ejus sempiternam tradite foliis <sup>25)</sup>? nunquam enim historia similis vagata est mundi plagis. Allato itaque atramentario et nigris ejus serpentibus <sup>26)</sup>, historiam signavimus, uti contexuerat; dein vero elicere tentavimus sententiam ejus de recipiendo puer. Ibi dixit: si modo gravis esset manica, leve mihi esset educare filium. Resumsimus: si viginti aureorum tibi sufficit summa, statim tibi eam colligemus. Dixit: qui non acquiescerem tanta summae, quam nemo contemnere potest, nisi fatuus! Continuavit relator. Nostrum ergo quisque in se suscepit hujus (summae) partem, datoque se obligavit libello. Pro hoc beneficio gratias egit, largam laudi impendens orationis copiam, donec, cum jam nimia nobis videretur celebratio, nimis exiguum munus, fabularum protulit ornatarum <sup>27)</sup>, quod conteratas faceret vestes variegatas Jemanicas, usque dum appropinquavit diluculum, aurora perrupit illustrans, et confabulando transegeramus noctem, ex quo omnis ejus occiderat lucida stria, usque dum canescebant ejus antiae, et cujus perfecta erat felicitas <sup>28)</sup>, donec florescebat ejus arbor <sup>29)</sup>. Cum autem primum consiperetur cornu rhasalae <sup>30)</sup>, exsilivit in morem rhasalae, et dixit: surge mecum, ut accipiamus dona, et stilatim promanare faciamus commissas summas; nam jam volitant jecoris mei laciniae <sup>31)</sup> filii mei desiderio. Alae itaque ejus me adjunxi <sup>32)</sup>, donec facilem ei reddideram successum. At postquam numeratam pecuniam bursa sua condiderat et, fulgentibus frontis hilaris lineis, dixerat: „Deus rependat pedum tuorum gressus; Deum imploro tibi, mea vice, tutorem!“ afflantem me, „volo te sequi, ut videam filium tuum generosum, eumque alloqui, ut respondeat“, adspexit,

---

24) Korani. 25) Proprie: foliorum ventribus. 26) I. e. calamia. Perperam Schult.: et reliquo instrumento. 27) Proprie: phrygionae vestis confabulationis. 28) A. v. cuius perfectae erant felicitates. 29) Schult. legit Amud pro Aud; inde vertit: cum columna diluculi prorupisset. Sed dies orientis hic comparatur arbori, cuius roeci se explicant flores. Minus placet sententia D. S. Scholl.: comparatur arbori, cuius folia ex involucris promicant. In sathara, fuisse fuit, etiam ad florum involucra referri potest. 30) Vel: gasalae i. e. solis. 31) Proprie: fissa. 32) I. e. dextram meam dextræ ejus juaxi.

ut deceptor adspicit deceptum, et ridens, ut in utroque oculo lacrimae recipro-  
carentur <sup>33)</sup>), declamavit:

O tu, qui decipientem *splendorem*<sup>34)</sup> pro aqua habuisti, cum narrarem, quod narravi!  
Non putavi, absconditum mansurum esse dolum meum, aut dubiam fore intentionem.  
Per Deum! nec uxor mihi est Barra, nec filium habeo, a quo cognominatus fuerim;  
Sed variae sunt mihi artes magicae, quas novas inveni, nec aliunde duxi,  
Et quae nec Azmaï<sup>35)</sup> retulit in relationibus suis, nec pertexuit Cumeit<sup>36)</sup>;  
His utor mediis consequendi, quae manus decerpit, quando desidero;  
Si vero supersederem, immutaretur status meus, non obtinerem, quod obtainui.  
Accipe igitur excusationem et condona, si peccatum commisi crimenve!

Hic valedixit et abiit, corde meo Rhadhâe<sup>37)</sup> depositis carbonibus.

---

33) Proprie in uia est de sonis, in gutture se reciprocantibus. 34) Sarab splendor est deserti, aquae speciem prae se ferens, sed ludens sitientes. Cfr. Lebidi Kasidam Moallakam v. 15. 35) Nomen integrum est Abu Said Abdo'lmelek bin Koreib bin Azem bin Abdo'lmelek bin Asma bin Mothhar bin Riach bin Omar bin Abde'llah Bahelita. Plura vide in Dissertatione de Moallaka Lebidi, p. 87; cfr. Concessum Tauricensem. 36) Tres vixerant poetæ Cameit dicti: primus ante Islamum, alter ante et post Islamum stabilitum, id quod notat vox Muchdharim; tertius, Cameit bin Seid, post Mohammedem, ad sectam Schiitarum transiit, carminaque omnium pepigit longissima, ut in proverbium abierit. 37) Rhadhâ, vel Gadhâ, arbor est, cuius lignum praesertim vivacissimam præabet.

## Mararhensis').

Commemoravit Haret Hammamita. Versabar Mararhae in concilio regiminis<sup>2)</sup>, cum, mentione eloquentiae facta, omnes, qui aderant, ex equitibus calami et dominis praestantiae, consentirent, non superesse, qui enucleate componat, et hac in arte versetur pro lubitu; nec restitisse post praecessores, qui inveniat viam candidam, tractatumve defloret virginem<sup>3)</sup>; sed seculi hujus scriptores praestantissimos, facundiae frenorum potentes, mendicos<sup>4)</sup> esse respectu majorum, etiamsi possideant eloquentiam Sachbani Vajelitae. Erat autem in consessu vir, sedens in angulo<sup>5)</sup>, ubi famuli stare solent; et quotiescumque illi modum excedebant in curriculo, et meliores vilioresve spargebant e cophino suo dactylos, limus ejus prospectus<sup>6)</sup> elatusque nasus indicabat, eum terrae adhaerere<sup>7)</sup>, ut prosiliat; contractum jacere, ut orgyiam extendat<sup>8)</sup>; arcus laxatorem<sup>9)</sup> esse, qui sagittas dolet; cubitorem, qui quaerat jaculando certare. Cum autem evacuatae essent pharetrae, rediisset tranquillitas, quiescerent procellae, cohibus erat contradicens, (cessarent strepitus, silerent increpatus et increpans)<sup>10)</sup>, accessit ad multitudinem et dixit: o homines! rem fecistis stupendam et a scopo aberrastis vehementer, dum magnifecisti ossa putrida, excessisti favendo praeteritis, et despexistis generationem, qua vestri sunt fratres, quaeque vobis juncta est amicitii. Oblitine estis, o peritissimi nummorum exploratores, magorum antistites in solvendo et nodando, quod novae ediderunt venae, quove bimus equus<sup>11)</sup> ad certamen provocat quinquennem, parabolarum castigatarum, metaphorarum dulcium, epistolarum

1) Mararha, vel Maraghā, urbe est Aderbiganae. Ibn Haukal, vert. Onseley, p. 157 dicit: Maraghā is nearly of the same size as Ardebil; in former times it was the seat of government: it has villages and suburbs, orchards and gardens, and land improved by agriculture. 2) Secus Schult. habet eruditio nia. 3) I. e. producat novum. Schult.: qui dissertationem virginem posset concedere. 4) Pr.: domesticos, ob quos sumtus facere necesse est. Schult.: clientes. 5) Vel: in margine, ora. 6) Vel: palpebrarum contractio. 7) I. e. silere. Schult.: oculos in terram desigere. 8) Schult.: ut mox ample passu emicaret. 9) I. e. qui remiserit arcus nervum. 10) Verba inclusa exstant in editione Percivalii. 11) Vel: camelus.

balteatarum, rhythmorum venustorum? Et num prisci, si recte considerat nunc vivens, alias sententias protulerunt, quam e fontibus haustas, qui nunc quoque frequentantur<sup>12)</sup>; quam fugaces<sup>13)</sup>, quae nunc quoque compedibus vinciuntur; ab illis per manus traditas ideo, quod prius nati erant, non ideo, quod ab igens a rivo<sup>14)</sup> accendentem superat? Mihi quidem notus est, qui, quando scribit<sup>15)</sup>, pingit; quando exponit<sup>16)</sup>, vestem texit Jemanicam; quando latius evagatur, deaurat<sup>17)</sup>; quando compendiose loquitur, miracula edit; quando ex tempore loquitur, attonitos facit; quando nova producit, corda findit. Excepit, qui p[re]a ceteris respiciebatur in concilio, primatum illorum oculus: quis hunc saxum tundit<sup>18)</sup>, et harum proprietatum est admissarius<sup>19)</sup>? Respondit: hippodromi tui socius<sup>20)</sup>, pugna tibi adversarius, et, si vis, exerce generosum<sup>21)</sup>, voca responsurum, ut videas, quod mireris. Resumsit ille: o quisquis es! milvus nostra regione non sit aquila, et facile nobis est distinguere argentum a glarea; raro autem, qui se exponit certamini scopum, evadit morbo incurabili; raro, qui pulverem ciet probationis, effugit contemptus festucas. Ergo tu, honorem tuum ne prostitue ignominia afficienti<sup>22)</sup>, nec averte te a consilio bene consulentis! Regessit: quisque suae sagittae optime novit signum, et certe<sup>23)</sup> nox suam prodet auroram. Hominibus ibi clam deliberantibus, qua re puteum ejus explorarent, virique agerent experimentum, unus inquit: meae eum cedite parti, ut eum petam historiae meae silice<sup>24)</sup>, quae nodus est intricatus<sup>25)</sup>, nummorum dijudicandorum lapis lydius. Ornarunt eum itaque dominio, ut rebelles quondam Abu Naâmam<sup>26)</sup>, et accedens ad virum illum inquit: scias velim, me, cognatum<sup>27)</sup> huic<sup>28)</sup> praefecto, statui meo providisse dulci eloquentia, et ad reparanda curvata sufficiens habuisse auxilium in civitate mea, in facultatum copia et alendorum paucitate. Sed cum tergum meum aggravatum esset et periisset tenuis pluvia, ad illum contendi ex oris meis cum spe mea, et oravi, ut mihi restitueret nitorem et me irrigaret; et laetus erat ob

12) Perperam Schult.: quam qui aquarlis turbidis et calcatis veniant comparandi, e quibus nihil celum ac venustum eluceat. Neutquam orator veteres vult vituperare. 13) Sententias, quae ob pulchritudinem mox in omnium ore sunt, comparat cum colerimis antilopibus. 14) I. e. e vita discedens, — allegoria e vita pastoris desumpta. 15) Vel: tractatum componit. 16) Vel: comparationes instituit. 17) Alius est in ed. Percival. commixtum ordo. 18) I. e. quis est detrectator? D. S. Scholl. saxum hic notare dicunt: honorem, sostimationem. Schalt. explicat: quis durum hoc saxum nobis prefergerit? 19) I. e. dominus, possessor. 20) Vel: compar tibi in hippodromo. 21) Scil. hunc. 22) Vel: vituperiis, aut locis, ubi vituperiis afficiatur. 23) Male Schult.: et nunc statim. 24) Secundum D. S. Scholl. silex notat: quod aliqui in certamine par est. 25) Pr.: difficultas nedorum. 26) Abu Naâma cognomen est Kathrenis, oratoris et poete, tempore Muzabi, filii Subeiri, quem rebelles dicti Alasriket Chalifam salutaverunt viginti per annos. 27) Perperam Schult.: in comitate hujus viri principis. 28) Ambiguum est, utrum dicere velit hujus urbis, an hujus provinciae praefecto.

adventum meum ac lubens, et mane me bonis cumulavit vespereque. Petenti vero tandem mihi licentiam, domum revertendi tergo laetitiae, dixit: ego mihi firmiter proposui, tibi non dare viaticum, nec concedere<sup>29)</sup>, ut relicis tuis te adjungas, nisi ante discessum tuum componas epistolam, qua statum tuum ita explices, ut vocabulorum binorum prioris litterae omnes sint punctatae, litterae posterioris distinctae sint punto prorsus nullo<sup>30)</sup>. His auditis totum annum expectavi facundiam meam, sed non edidit verbum; totum annum mentem excitavi, sed aucta est sopore; omnes<sup>31)</sup> doctos auxilio vocavi, sed quisque caperata fronte se avertit. Si ergo vera de te retulisti, fac, veracitatis tuae proferas testimonium<sup>32)</sup>! Respondit: ad cursum incitasti equum cursorem, rigationem postulasti aquam effusam, arcum transmisisti in fabricatorem, domum habitare jussisti exstructorem. Tum, postquam cogitaverat, donec plenam fecerat<sup>33)</sup> venam<sup>34)</sup>, abundans lac camelae, dixit: erioxylon<sup>35)</sup> inde atramentario, sume instrumentum et scribe: Liberalitas, o tu, cuius felicitatis exercitum Deus confirmet! ornat; avaritia, o tu, cuius inimicorum oculos<sup>36)</sup> fortuna deprimat! dedecorat; nobilis remunerat, ignavus frustrat; hospitalis excipit, sterilis<sup>37)</sup> terret; benignus nutrit, rixosus festuca laedit; donum salvat, retardatio angit; preces custodiunt, laus purificat; ingenuus retribuit; denegare, quod jure est debitum, ignominia afficit; projicere verendos<sup>38)</sup> est error, frustrare filios spei est crudelitas; nemo avarus est, nisi imbecillis mente; nemo decipitur, nisi tenax; nemo pecuniam condit, nisi misericabilis, nec contrahit manum pius. Nunquam desinant<sup>39)</sup> promissa tua liberare fidem, consilia tua sanare, clementia tua ignoscere, luna tua splendere, dona tua ditare, inimici tui te celebrare, gladius tuus perdere, potestas tua aedificare, petens a te decerpere<sup>40)</sup>, te laudans colligere, liberalitas tua juvare, coelum tuum pluere, copia tua redundare, repulsa tua deficere! Qui spem suam in te posuit, senex est similis umbrae pomeridianae, cui nihil restitut; adiit te mente acerrimae aviditatis<sup>41)</sup>; laudavit te selectis<sup>42)</sup>, quae dote donare necesse est; desiderium ejus autem

29) Vei: dispersionem tuam recolligere. 30) In lingua latina sola littera è punto insignitur; in hac ergo artificium illud, quo prima quaque vox litteris punctatis constat, altera quaque non punctatis, locum habere non potest. Similia occurunt in Concessu Ahvasensi et Sumarcandensi. 31) Reprehenditur hic Haririæ a popularium suorum nonnullis ob vocem Katheba, omnes notantem, quippe quam ex hoc non sit licet ponere statu constructo. 32) A. v. proferas testimonium, si es e veridice. 33) Vei: existimat. 34) Pr.: prima e puto scaturire aqua, ingenium. 35) Qued ab illo, qui calamus scribere solent, atramentario insidet, ut carpta lana, gossypium, sericum, ad continendum atramentum. 36) Vei: cilium. 37) Vei: eycophanta, delator. 38) Schult.: necessarium. 39) Licit etiam vertere: nunquam desinant. 40) Perperam Schult.: verbum adhibet finitum. 41) Pr.: adiit te senex, cajus aviditas salit. Non bene Schult.: opinione bona. 42) Selectae orationes vel versus sponsis hic comparantur, quae dotare necesse sit.

facile expletur; quae animum ei tuum propensum reddant, sunt manifesta. Laus ejus pro praeda habetur, vituperium timetur; pone se habet familiam numerosam, quam tetigit adversitas, expilavit iniquitas, totam obruit macies, dum ipse versatur in lacrima respondente<sup>43)</sup>, tristitia liquefaciente, cura inhaerente, moerore modum excedente, quod spes frustrata est, neglectus canitie sparsit, inimicus dentes collisit, tranquillitas evanuit; neque vero declinavit amor ejus, ut iram provocaverit<sup>44)</sup>; nec malos fructus tulit arbor ejus, ut resecetur; nec expulit<sup>45)</sup> pectus (cogentia), ut excutiatur; nec nodosum erat vinculum<sup>46)</sup>, ut odio habeatur. Liberalitas ergo tua postulat, ut quae ei sunt praestanda non rejicias; sed spem ejus fac candidam<sup>47)</sup>, auferendo dolorem! Divulgabit laudem tuam in mundo suo, o tu, qui vivas ad removendam tristitiam<sup>48)</sup>, erogandas opes, sanandam aegritudinem, tuendos senes, societate copiae et laetitiae nitentis, quamdiu visitabitur<sup>49)</sup> domicilium divitis et timebitur intentio malevoli<sup>50)</sup>! Salve! Cum autem epistolam dictando ad finem pervenisset, et in praelio eloquentiae fortitudinem suam demonstrasset, multitudo ei gratificata est facto et dicto, largum ostendens favorem et liberalitatem. Interrogatus vero, qua in gente ejus sit origo, qua in valle ejus lustrum, respondit:

Rhassan nobilis mea est gens, Sarugum patria mea pristina.

Domus quidem illa solem aequat splendore et loco excelso;

Mansio autem dicta paradisum, salubritate, amoenitate et pretio.

Euge vitam, quam in ea transeggi, et gaudia perfecta,

Diebus, quibus limbatam tractabam vestem in ejus hortis, litans genio<sup>51)</sup>,

Juventutis stola superbiens, revelatas conspiciens delicias pulchras,

Non metuens fortunae vicissitudines, nec casus ejus vituperandos!

Si homo moerore perderetur, ego mortuus essem moerore constante;

Si redimi posset vita praeterita, ego eam redimerem pretioso cordis sanguine.

Mox antiquius est viro, quam vivere vitam jumenti,

Quem annulus contemtus ducat ad magnas<sup>52)</sup> et injurias,

Et leones videt disceptos unguibus injuriosis luporum.

Peccatum autem imputandum est tempori; nisi ipsius esset mala indoles, non inconveniens foret habitus<sup>53)</sup>;

Ipsum si recte staret, status etiam in eo recte se haberent.

43) Intelligit faciem et largam. 44) Vel: ut ira cum persoquatur. 45) I. e. non prouantivavit. 46) Nihil molesti erat in mea tecum coniunctione. 47) Imple. 48) Sic Castellus. D. S. Scholl. interitam notat. Utrumque confirmat in Lexico Arabicо-Latino Freytagius. 49) A. v. obruetur. 50) Vel: eocardia, recordia. Schult.: aut metuitar tergiversatio sordidi. 51) A. v. secans propositi, i. e. cuius pro arbitrio edebant propositi, vel, perficiens quae vellem. 52) Subintellige: calamities, vel peccata. Non convenire mihi videtur, quod Scholastae supplant: dignitas. 53) Vel: moe, natura.

Posthaec perlata ejus historia ad praefectum, iste os ejus margaritis implevit, eumque adegit, ut ad ipsum se recipere, quo praeesset scribarum concilio; at suffecit ei donum, ab isto principatu eum retinuit fastidium. Dixit, qui retulit. Evidem cognoveram lignum arboris ejus, antequam maturuerant ejus dactyli; et prope aberam, ut ejus pretium indicarem, antequam fulserat plena ejus luna; sed palpebrae nictu innuit, ut ne extraherem gladium ejus e vagina. Jam, cum exiisset plena cum pera, discessisset potitus victoria, eum secutus sum, amicitiae officium exsecuturus, reprehensurus scilicet eum ob recusatum praesidis munus; verum se avertit ridens et declamavit modulans:

Vagari per regiones cum paupertate, antiquius mihi est, quam munus.

Nam praefectis<sup>54)</sup> est asperitas et objurgatio, eheu quanta objurgatio!

Et nemo eorum bene facta complet, et firmat, quod constituit.

Nec te decipiat fallens deserti splendor, nec aggrediaris rem non perspectam<sup>55)</sup>;

Quot enim somniantes, laetati somnio, terrore percussi sunt expergiscentes! —

### Hamedanensis Specimen<sup>56)</sup>.

Retulit Iaa filius Hischami<sup>57)</sup>. Cum ego essem urbe Salami<sup>58)</sup>, reversus a peregrinatione ad domum sanctam, itineratorum<sup>59)</sup> more jactanter ambulabam in Tigridis ripis, ut contemplerer, quae illic sunt amoena, lustrarem pulchra ornamenta. Tandem veni ad circulum virorum se urgentium, quorum colla torquebat videndi desiderium, risus findebat orum chalinos; et spectandi cupiditas eandem in me vim exercuit, donec loco steti, quo viri cuiusdam audire poteram vocem, sed non conspicere faciem, ob vehementem concursum et modum excedentem compressionem. Et ecce! simiarum erat dux, qui simias ad saltandum incitabat suas, et adstantibus movebat risum. Ibi ego in modum canis collari ornati (venatici) insilui, et in hominum cervicibus incessi instar oblique gradientis<sup>60)</sup>, hujus quidem humero me projiciente in illius umbilicum, donec duorum virorum in barba, ceu pulvinari, insidens, post fatigationem gavisus sum quiete; quamquam cursu illo, tanquam compedibus impedito, excitata saliva me paene suffocabat, et loci angustia vix ferendam mihi imponebat molestiam. Cum autem simiarum dux opus suum perfecisset, et spectatorum corona dispersa abiisset, cooperitus sum ueste desiderii<sup>61)</sup>, illius physiognomiam conspicendi, et en! erat Abu'l fatch Alexandrinus; quem equidem increpau: quid istud vilitatis? Sed declamavit:

Vitium est temporis, non meum; vitupera singulares fortunae vias!

Stultitia consecutus sum, quod in votis erat, commodeque incedo vestibus pulchritudinis.

54) Intelligendi sunt urbiuum et provinciarum praefecti. 55) Vel: dubiam, ambiguam.

56) Textum arabicum et versionem gallicam dat Sil. d. Sac. in Chrestomathie, ed. I., tom. III., p. 192.

57) Similem historiam exhibet J. de Hammer in libro: Encyclopädische Uebersicht der Wissenschaften des Orients I. p. 506. Ex quo prodit, Sasanitas non raro simiis uti ad hominum marsupia mulgenda.

58) I. e. in urbe Barhdd, vel Bagdad. 4) In Chrest. Arabe, ed. II. MDCCXXVIII., Silv. d. Sac. praeferebas variantem vertit: „comme font les gens, qui marchent à pied“, quod quidem sensum non fundit melioreum. Recepimus autem hac variante, posset etiam verti: jactanter ambulabam, ut esse solet in vehementia pedestris incessus. 5) Sequimur versionem Sacyanam. Ad verbum vertendum: curvi, distorti. Notantur vero etiam hac voce, ut vidimus in Cons. Dimijatensis initio, magnae celeritatis et præ celeritate quasi stolidi camelli, equive. 6) Varians lectio, quam hic Chrest. ed. II. habet (scil. R a b b p r o D a r s c h), plane nihil mutat in sensu, ideoque hoc specimine vix indicari merebatur.